

culari, quod præstare non possit per Procuratorem. 5. Si velit transire ad aliam perfectionem Religiosam, vel perfectionem Conventum. 6. Si Conventus necessitas exigat, ut conversæ exeant ad petendas eleemosynas. Quia in his omnibus casibus, & similibus agitur de bono communi; & ut dixi, ita usu receptum est. Quæ autem exeant propter aliquam ex his causis, ea cessante debent statim moraliter redire ad Monasterium. Ita decernunt Jura cap. *Periculosa* de statu regulari in 6. & Bulla *Decori*, & *honestati* S. Pii V.

Gravior difficultas est, utrum possit concedi licentia Moniali eundi e Monasterio ob morbum non contagiosum, sed ex quo ipsi imminet periculum vitæ, aut diuturnæ infirmitatis, si in Monasterio curari non possit? R. plures infirmare. Quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, nisi ubi honor Dei, vel Religionis, vel magna boni communis necessitas interveniat; quorum nullum hic reperitur. Imò nec votum perpetuæ clausuræ, quod quædam emittunt, non fit ab eis sub isto rigore, nec habetur in eorum Regula, sicut habetur in Regula Carthusianorum, potius esse moriendum, quam manducare carnes. 2. Quia, si Monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter periculum evadere, quam exeundo, potest exire juxta communem Doctorum sententiam: ergo pariter in nostro casu, cum par sit ratio. 3. Denique, quia, licet Pius V. excipiens tres præfatos casus intenderit solum providere communi incommoditati Monialium, non est tamén censendus voluisse excludere ab exceptione casum, in quo violaretur jus naturale, quod quisque habet ad tuendam propriam vitam: sicut secundum communem Sententiam non excludit, ut modo dicebam, casum, quo Monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter evadere, quam exeundo.

Cæterum dato, id a Jure esse prohibitum, videtur illi quoad hoc esse derogatum, saltem in his partibus, in quibus videmus passim Moniales cum licentia Superiorum exire e Monasteriis ob infirmitates sibi solis nocivas. Nec inde sequitur inconveniens, quod extollunt Adversarii, scilicet inde laxandam omnino Clausuram.

Dicitur 4. *Nisi ex causa legitima, ab Episcopo approbanda.* Approbationem Episcopi requiri pro Monialibus sibi subjectis, est extrâ dubium; ex textu Trid. cit. in Conclusionibus. Requiritur autem etiam pro Monialibus ab Episcopi jurisdictione exemptis, & solis Regularibus subjectis, certum pariter videtur, stando Bullæ S. Pii V. *Decori*, & *honestati*; in qua præcipitur, licentiam egrediendi pro Monialibus Regularibus subjectis dandam esse a Superioribus Ordinibus, & ab Episcopo.

Dixi stando Bullæ Pii V. quia, juxta Bonacinam, & plures alios, quos citat, hæc Bulla non est ubique recepta, & Joann. de La Cruz Hispanus testatur, hæc Bullam in Hispania pro hac parte esse abrogatam, & Moniales cum sola licentia suorum Superiorum exire.

Secunda pars Conclusionis ex se patet. Quantum ad absolutionem ab Excommunicatione, a quo sit danda, dixi prius, dum de Clausura Religiosorum quoad ingressum.

## ARTICULUS IV.

## De Clausura Monialium quoad Ingressum.

Dico. Ingressi intrâ septa Monasterii Monialium nemini licet, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub Excommunicationis pena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alius ullo modo posset, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel concedendi. Ita in terminis Concilii, Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 5.

Gregorius XIII. Bulla *Ubi gratia*, & Paulus V. Bulla *Monialium* idem prohibent sub Excommunicationis pena reservata Papæ iis, qui sub pretextu alicujus indulti dicta Monasteria ingredi audent: Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque sexus personis sub eadem, & privationis suorum Officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis penis, ne ingredi faciant, aut permittant, inquit Gregorius, introducere, seu admittere, vel admissum quoquo modo retinere audent, seu præsumant, inquit Paulus V. Imò idem Gregorius ibid. sub iisdem penis ipso facto incurrendis prohibet generaliter quibusvis personis, ne pretextu licentiarum ab Episcopi, vel a Superioribus, Monasteria ipsa Monialium, nisi in casibus necessariis, ingredi, neve Moniales sub iisdem penis illas aliter admittere præsumant.

Explicatur. Dicitur 1. *Ingressi intrâ septa Monasterii Monialium.* Quid nomine Monasterii Monialium intelligatur, dixi Art. præcedenti. Dicitur 2. *Nemini licet, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis.* Intellige sub iisdem exceptionibus, quas Art. 2. appositimus ingressui mulierum in Monasterium Religiosorum. Dicitur 3. *Sine Episcopi, vel Superioris licentia.* Episcopi respectu Monialium sibi subjectarum, & Superioris Regularis respectu Monialium, a jurisdictione Episcopi exemptarum. Ita communissima Sententia contra Donatum, qui ex quibusdam declarationibus S. Congregationis contendit ultra licentiam Superioris regularis requiri licentiam Episcopi. Verum istæ declarationes, vel non sunt authenticæ, vel non sunt receptæ, aut saltem usu communi contrario sunt abrogatæ.

Per Episcopum intelligitur etiam Vicarius ejus Generalis, & Capitulum Sede vacante. Per Superiorem Regularem intelligitur Generalis, Provincialis, Prælati Localis, ut Abbas, Prior, Guardianus, &c. qui sit Monasterii Superior; non autem Abbatissa, seu Priorissa, nisi Prælati superior ipsi hæc facultatem delegaverit: quia illius est solvere, cuius est ligare ad solos autem Prælatos pertinet ligare, seu addicere Moniales Clausuræ, non verò Abbatissæ, aut Priorissæ, quippè quæ ipsæmet ligantur, & addicuntur.

Dicitur 4. *Licentia in scriptis obtenta.* Communis censent Auctores, licentiam in scriptis non requiri in casibus ordinariis, puta, quoad Medicos, Chirurgo, opifices, & similes, quorum opera passim indigent Moniales; sed pro his Abbatissam, seu Priorissam posse ottenere dare licentiam, sive ex commissione Superioris, sive præsumpta ejus voluntate; & talis est usus. Quoad casus verò extraordinarios, Navarros, Homobonus, Diana, Belochius, Pellizz, citati a Donato, censent ex Innocentio, & Abate, & Felino, dictum Concilii Trid. de licentia scriptis obtenta, intelligendum esse pro foro fori, non pro foro conscientie, quia in interiori foro animæ, in quo attenditur veritas, sufficit, quod interveniat consensus Juro naturali requisitus, qualis est, qui etiam ottenens conceditur; puta sic esse in usu, saltem in his partibus. Urbanus VIII. Bulla *Sacrosanctum* exigit insuper consentum Monialium, capitaliter datum per vota secreta; sed neque id est in usu.

Dicitur 5. *Sub excommunicationis pena, ipso facto incurrenda.* Non reservatur, nisi ingressus fiat ad malum finem. Dicitur 6. *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Intellige necessitatem non physicam, & strictam, sed moralem, ut in aliis præceptis Ecclesiæ, a quorum observatione excusant necessitas moralis. Itaque possunt ingredi Medici, Chirurgi, opifices necessarii, Superior pro visitando Monasterio, Confessarius pro administratione Sacramentorum infirmis, & hic toties quotidie exigit devotio, vel dispositio infirmæ. Denique generaliter omnes, qui requiruntur ad debitam Monasterii conservationem, seu administrationem, sive temporalem, sive spirituales.

Hæc autem necessitas moralis admittit latitudinem; minor enim causa requiritur pro concedenda licentia feminis, quam viris; minor pro matre, aut sorore, quam pro extraneis; minor ad ingredienda loca viciniora portæ Clausuræ, quam interiores Officinas.

Insuper, juxta Bonifacium VIII. cap. *Periculo*, quod innovat, & confirmat Trid. requiritur, quod causa sit manifesta, hoc est, quod non sit obscura, & dubia; nemo enim licitè operatur cum conscientia dubia: sufficit tamén, quod probabilis reputetur justa, alioquin daretur locus infinitis scrupulis, & aliunde licet agere secundum probabiliorém sententiam.

Quantum ad ingrediendos sub pretextu alienius indulti, & permittentes eorum ingressum; item de ingredientibus sub pretextu licentiarum ab Episcopi, vel Superioribus, in casibus non necessariis, sufficienter explicatur in 2. parte Conclusionis.

## Observatio necessaria, ad totam Dissertationem.

CUM omnia ferè, quæ hucusquè diximus de Clausura Religiosorum, & Monialium, sint Juris positivi humani, potest illi derogari per contrarium usum; ita ut, juxta Donatum, Statem, & alios, Clausura possit per usum contrarium abrogari in una Provincia, & non in alia; & intrâ eandem Provinciam in una Religione, & non in alia; imò in uno Monasterio ejusdem Religionis, & non in alio. Debet ergo unusquisque attendere ad legitimum usum suæ Provinciæ, vel Religionis, vel Conventus; videmus namquè in variis locis, Constitutionibus Apostolicis esse derogatum, sive quoad ingressum in Monasteria Religiosorum, & Monialium, sive quoad istarum egressum.

DIS-

## DISSERTATIO III.

## DE IIS, QUÆ COMPETUNT RELIGIOSIS; NEC NON DE RELIGIONUM DISTINCTIONE.

Div. Thom. QQ. 187. &amp; 188.

## ARTICULUS I.

## De his, quæ competunt Religiosis.

POSTQUAM S. Thom. tractavit de Statu Religionis, & de votis, votorumque obligatione, in quibus principaliter consistit Religio, agit de actionibus, quæ Religiosis competere possunt. Hæc questionum locum dederunt tempore S. Ludovici Francorum Regis quidam Magistri Parisienses, quorum præcipuus erat Guillelmus de Sancto Amore, qui, in nascentes Ordines Mendicantium Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum insurgentes, contendebant eorum statum esse damnabilem, & iis non licere docere, prædicare, Sacramenta administrare, & similia, neque etiam medicare, sed teneri manibus laborare; eaque de re librum edidit præfatus Guillelmus, cui Titulus, *Tractatus brevis, de periculis novissimorum temporum.* Contra quem scripsit S. Thom. Opusculum, inter alia decimum nonum, quod inscripsit: *Contra impugnantes Dei cultum, & Religionem;* & hæc præsentem Questionem 187. in Summa.

Librum Guillelmi ab Alexandro VI. fuisse damnatum, refert ex Ptolomæo Lucensi Odoricus Raynaldus ad ann. 1256. num. 20. Et addit num. 24. quod unus ex istis Magistris Parisiensibus Christianus nomine, morti proximus amarissimè corde contritus, recognovit nihil se, & complices suos contra dictos Ordines habuisse, nisi quod illis æquari in scientia non valerent, & ob hoc eos parvipenderent Auditores. Et subiunxit: *Quoniam nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in signum tamén, quod ex corde penitens, corpus meum apud vos Fratres Prædicatorum tradendum sepulture reliquo.*

Verum, quia iste error Magistrorum Parisiensium cum ipsis est extinctus, totam hæc questionem hoc uno Articulo breviter perstringam. Unde

Dico 1. (*Hæc q. 187. art. 1. o.*) Religiosi vi status non prohibentur docere, prædicare, Sacramenta Eucharistiæ, & Penitentia administrare, aliasque functiones Ecclesiasticas exercere: quia vi status, qui est status perfectionis, non sunt ad hæc inepti, sed e contra magis idonei, neque habent in Regula præceptum ista prohibens: ergo. Sed neque (*ib.*) etiam vi status prædictæ possunt licitè istas functiones exercere: quia vi status non habent potestatem, & jurisdictionem ad illas. Ex (*ibid.*) quibus sequitur, quod licitè eas exercere possunt, si ipsi a Superioribus, quibus ex officio competunt, committantur. Ex variis autem Privilegiis Summ. Pontificum eis commissum est docere, prædicare, Sacramenta Eucharistiæ, & Penitentia administrare, mediante tamén quoad hoc ultimam approbatione Episcopi.

Dico 2. (*ibid. art. 2. o.*) Non licet Religiosis, & Clericis gerere negotia secularia, sive judicialia, sive extrajudicialia, ex cupiditate, vanitate, aut alio motivo profano; quia per hæc impedirentur a divinis contemplationibus, & exercitiis spiritualibus, ad quæ tenentur vi status. Et hoc sensu intelligitur illud Apostoli 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus.*

Licet autem (*ibid.*) cum debita moderatione, secundum licentiam Superioris, ex charitate, juxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quia in hoc ipso, quod proximis serviret propter Deum, obsequuntur dilectioni divinæ, in qua sita est perfectio Religiosa. Unde Jacobi 1. dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, id est, succurrere eis, qui carent presidio in tempore necessitatis.* Insupèr utraque pars Conclusionis habetur d. 86. cap. *Perennis*, ex Concilio Chalced.

Dixi: *cum debita moderatione*; quia sunt quædam negotia secularia, quæ omnino dedecent statum Religionum, quæ idè per se exercere non debet Religiosis, sed per alios, dirigendo, intrudendo, alloquendo, &c.

Dico 3. (*ibid. art. 3. o.*) Religiosi per se, & secluso præcepto suæ Regulæ, si quod sit, non magis tenentur laborare manibus, quam Sæculares.

Prob. (*ibid.*) Labor manuum est necessarius, vel ad victum quaerendum, vel ad otium vitandum, vel ad carnem mace-

randam, vel ad eleemosynam faciendam in urgente necessitate pauperum; atqui Religiosi, non secus ac Sæculares, possunt aliunde, quam ex labore manuum habere unde vivant, puta, ex possessione bonorum in communi, vel eleemosynis & beneficiis fidelium comparatis propter obsequia spiritualia ipsi præstita, docendo, concionando, Sacramenta ministrando, orando, &c. Otium vitare possunt & carnem macerare sicut Sæculares per aliud, quam per laborem manuum, nempe, per jejunia, vigiliis, orationes, & alia exercitia spiritualia. Tandem necessitas laborandi ad dandam eleemosynam non argot nisi in pauperum necessitate, cui non possit aliter succurri, quo casu non magis obligantur Religiosi operari manibus, quam Sæculares; Religiosi enim non obligantur ad alia, quam Sæculares, nisi ad ea vi suæ Regulæ obligentur: ergo.

Dixi: *secluso præcepto Regulæ, si quod sit.* Fuit autem hujusmodi præceptum in variis Regulis, ut S. Benedicti c. 48. S. Macharii c. 10. & 11. S. Basilii Reg. 37. 38. 39. 40. & 42. & in aliis pluribus. De qua re etiam scriperunt S. Aug. *De opere Monachorum*, S. Hieronymus Ep. ad Rusticum Castianum libr. 2. Institutionum c. 3. & 5. libr. 10. ferè per totum, & Collat. cap. 11. & 12.

Observandum est, quod, cum manus sit organum organorum, per laborem manuum intelligantur omnia opera corporalia, ex quibus homines victum lucrantur, sive exercentur manibus, ut ars sartoria, sutoria, & aliæ artes fabriles; sive pedibus, ut cursores; sive oculis, ut cæcoves, & excubitores; sive etiam lingua, in ordine ad effectum corporeum, ut Architectus lingua dirigens artifices, & artefactum.

Pro solutione Argumentorum notandum est, tempore Ang. extitisse quosdam Monachos, qui dixerunt Religiosis non solum non teneri, sed nec licitè posse operari manibus sine detrimento perfectionis: unde contendebant, laborem manuum etiam pro sustentanda vita esse Monachis illicitum, & ab eo abstinere sub pretextu operum spiritualium, orationis, lectionis, instructionis privatæ, &c. addentes illud Christi Matth. 6. *Ne solliciti sitis, quid manducetis.* Contra quos insurrexit Aug. libr. *de opere Monachorum*, & quos damnavit Conc. IV. Carthag. cui etiam interfuit, & subscripsit Aug.

Alii e contra, scilicet, quidam Magistri Parisienses, de quibus supra, ut Religiosis mendicantes a studio Sacræ Doctrinæ, prædicatione, Sacramentorum administratione, &c. amoverent, dixerunt, Religiosis teneri laborare manibus; quos, ut dixi, impugnat S. Thom. Opusc. 19. & præsentis articulo, apud quem utroque loco vide, si lubet, argumenta.

Dico 4. (*ibid. art. 4. o.*) Licetum est Religiosis vivere ex eleemosynis, sive sint parvæ, & quotidianæ, sive consistant in perpetuis redditibus; quia licet unicuique vivere de eo, quod suum est; atqui eleemosynæ, ex quibus vivunt Religiosi, sunt suæ, saltem quantum ad usum, utpotè ipsi donatæ, vel mera liberalitate, vel ex aliquo debito ratione ministerii spiritualis: ergo.

Dico 5. (*ibid. art. 5. o.*) Religiosis non secus ac Sæcularibus licitum est medicare causa humilitatis, necessitatis, & utilitatis, non causa acquirendi divitias, aut victum otiosè. Prob. & explicatur: (*ibid.*) *Causa humilitatis* est enim laudabile virtutem colere; mendicatio autem, quæ habet adjunctam abjectionem, est efficacè remedium contra superbiam: ergo laudabile est, abdicatis divitiis propter Christum, medicare causa humilitatis.

Atque hoc modo mendicavit Christus (*ibid. in arg. s. c.*) quando Luc. 2. abiit a Parentibus per triduum; quando Joann. 4. dixit mulieri Samaritanæ: *Da mihi bibere*; quando Luc. 19. petit assellum, quo ingrederetur Jerusalem; & Luc. 22. quando petiit locum, ubi celebraret Pascha. Unde illud Ps. 39. *Ego autem sum mendiculus, & pauper*; ubi dicit Glossa: *Hoc dixit Christus de se ex forma servi.* Sic etiam mendicaverunt Apostoli, & Apostolici viri; sic plures Sancti, S. Fabiola apud Hieron. B. Arsenius in vitis Patrum, S. Alexius toti orbi notus.

*Causa necessitatis*, (*ib. o.*) ut cum quis non potest habere unde vivat, nisi mendicando. *Causa utilitatis*, ut cum

quis intendit aliquid facere, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest, ut dum agitur de constructione Pontis, aut Ecclesie, vel quibusvis aliis operibus, quæ vergunt in utilitatem communem.

*Non causa acquirendi divitias, vel victum otiosè.* 1. Quia mendicitas non est medium ordinatum ad discendum, sed ad sublevandam miseriam, & ortum est Reipublice perniciosum. 2. Quia, qui dant eleemosynam, non intendunt favore otium, vel favore cupiditati discendi. Adde, quod talis mendicitas jure civili prohibetur cod. de mendicis libr. 11.

Potes, utrum dives possit in spiritu humilitatis, & poenitentiae, sive spontè, sive ex injunctioe Ecclesie, suscipere peregrinationem mendicando? R. affirmativè; quia, cum mendicare etiã ad tempus sit valde abjectum, & asperum, est medium aptum ad humilitatem, & poenitentiam. Nec obstat, quod sit dives; quia, cum extrã domum sine pecuniis, & sine commeatu peregrinetur, pro tunc est pauper, & verè indiget.

Dico 6. (*Ibid.* art. 6. o.) Religiosi non solum licitè, sed etiam laudabiliter utuntur vilibus vestibus; quia vilitas vestimentorum conducit ad humilitatem, estque signum poenitentiae, & contemptus mundi: status autem Religionis est status humilitatis, poenitentiae, & contemptus mundanæ gloriæ. Secus dicendum, si vilitas vestium procederet, vel ex inani gloria, vel avaritia, vel ex negligentia. Confer, quæ dicam de Temperantia Dissert. 7. art. 4 §. 5.

## ARTICULUS II.

### De Religionum distinctione.

#### §. I. Utrum sit una tantum Religio, an plures?

Dico. (Q. 188. art. 1. o. & ad 1. & 2.) Si spectetur finis remotus, & principalis omnium Religionum, & exercitia, seu media principalia ad hunc consequendum, est unica Religio; quia finis remotus, & principalis est unus in omnibus, scilicet, perfectio charitatis, & eadem in omnibus media principalia ad hunc finem consequendum, scilicet tria vota essentialia. Si verò spectentur fines proximi, & diversa media ad hos fines, sunt, ut patet, diversæ Religiones. Atque id fuit conveniens ad decorem, & utilitatem Ecclesie, majusque Dei obsequium.

*Ad decorem Ecclesie;* (*Ibid.* in arg. s. c.) quia Ecclesia tamquam Regina tot Religionum circumdata varietate, nunc decoratur Ps. 44. *Ad utilitatem Ecclesie;* quia, attentis diversis hominum temperamentis, inclinationibus, & moribus, non conveniret una omnibus Religio: alii enim solitudinem amant, alii vitam socialem: his placet vita activa, illis contemplativa: hi in hoc exercitio delectabilius operantur, isti in otio: ut ergo omnium salutem consulatur, juvat Religionum varietas, ut cui minus placet vita solitaria, eligat socialem; cui minus contemplativa, eligat activam; cui minus rigidiores observantiae, eligat faciliores; & sic de cæteris. *Ad majus Dei obsequium;* quia omnibus charitatis obsequiis non sufficit una Religio; non enim, qui militat, potest in Xenodochio curam infirmorum habere; & qui Xenodochio deservit, non potest prædicationem vacare; & sic de cæteris.

Antiquissima autem est in Ecclesia Religionum varietas; nam S. Hieronymus Ep. ad Eustochium de virginitate. S. Aug. libr. de moribus Ecclesie c. 31. Cassianus collat. 18. plurimum generum Monachorum, Anachoretarum, & Cenobitarum mentionem faciunt. Idem Cassianus Collat. 14. c. 4. refert, ex Religiosis sui temporis aliquos vacare contemplationi, alios curando Xenodochio, alios alendis pauperibus, alios instruendis imperitiis.

#### §. II. Ad quid potest institui Religio.

Dico. 1. (*Ibid.* a. 3. o.) Potuit institui Religio aliqua ad corporalia opera vitæ activæ, ut ad suscipiendos peregrinos, redimendos captivos, curandos, aut visitandos infirmos, sepeliendos mortuos, & ad alia quæcumque charitatis, & misericordiae opera; quia Status Religionis ordinatur ad perfectionem charitatis; charitas autem se extendit ad dilectionem Dei, & proximi: unde, sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiã obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Hinc sequitur 1. (*Ibid.* art. 3. o.) potuisse institui Religionem ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem sive Fidei, & Religionis, sive Reipublice, sive pauperum, & oppressorum; hæc enim sunt opera vitæ activæ, subventionem proximorum per observantias sint ad finem ordinatæ, & accommodatæ; quia observantiae non queruntur propter se, sed propter finem, & ideo non sunt id, quod præcipue in Religione commendatur. Unde in collationibus Pa-

oppressorum, materialitèr, & secundum se consideratam, esse quidem quid mundanum; secus autem assumptam in obsequium Dei, & exercitium charitatis, aut alterius virtutis. Ex fine ergo distinguuntur militia mundana, & religiosa; quia illa habet pro fine aliquid temporale ibi sistendo, ista autem habet pro fine Dei obsequium: & sic potest esse finis, ad quem Religio militaris instituitur.

Sequitur 2. & a fortiori (*Ibid.* art. 4. o.) posse institui Religionem ad prædicandum, & confessiones excipiendas; quia per hujusmodi officia spiritualia magis procuratur utilitas proximorum, & Dei obsequium, quam per opera ad subventionem corporalem proximorum ordinata, ad quæ diximus posse Religionem institui. Sic tamèn intellige istud consecratum, non quasi quilibet, hoc ipso quo talem Religionem est professus, possit propria auctoritate prædicare, & confessiones excipere; sed solum, si ista munia ab Episcopo, vel a Summo Pontifice illi committantur.

Dico 2. (*Ibid.* art. 2. o. & ad 3.) Congruè potest institui Religio ad studium sacre Doctrinæ, & consequentem earum Doctrinarum, sine quibus sacra Doctrina haberi non potest.

Prob. Et 1. si sit Religio ordinata ad docendum, prædicandum, & administrandum Sacramenta, patet, ad hæc requiri studium sacre Doctrinæ. 2. Si sit Religio ordinata ad vitam contemplativam, opus est etiã sacra Doctrina, qua illustretur intellectus, & dirigatur in consideratione divinorum, removeanturque pericula contemplationis, scilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant, sicut in collationibus Patrum collat. 10. c. 4. legitur, Abbatem Serapionem propter simplicitatem incidisse in errorem Anthropomorphitarum, qui Deum habere formam humanam arbitrantur. Adde, quod in quacumque Religione, etiã contemplativa, oportet esse aliquos, qui conscientias dirigant, Sacramenta administrant, ignorantes doceant, & in via salutis deducant. 3. Denique omni Religioni sive contemplativæ, sive activæ utile est studium sacre Doctrinæ ad observantiam trium votorum essentialium: nam studium concupiscentiam carnis domat, juxta illud Hieronymi: *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis*: amorem divitiarum frenat; qui enim studio sacre Doctrinæ animus adicit, nequidem cogitare de divitiis vacat: tandem promptam obedientiam reddit propter plurima exempla, documenta, & præmia obedientiæ, quæ in sacris Litteris inveniuntur.

#### §. III. Quæ sit Religio excellentior?

Nota (*Ibid.* art. 6.) excellentiam unius Religionis supra aliam primario, & principaliter attendi secundum Religionis finem; secundario autem, & minus principaliter secundum exercitia, seu media ad illum finem: quia finis est id, quod propter se appetitur, media propter finem.

Dico (*Ibid.*) Inter Religiones supremum gradum tenent mixtæ, quæ, sic contemplationi vacant, ut ex plenitudine contemplationis contemplata fidelibus communicant per Doctrinam, prædicationem, & alia officia spiritualia; quia, sicut magis est illuminare, quam lucere solum, sic magis est contemplata aliis ex charitate tradere, quam contemplari tantum: excellentia autem unius Religionis supra aliam attenditur primario, & principaliter, ut dictum est, ex potiori fine. Adde, quod hoc fuerit officium Christi, & Apostolorum. Secundum gradum (*Ibid.*) tenent Religiones, quæ ad contemplationem ordinantur. Tertium, quæ circa res corporales occupantur, ut eleemosynas distribuere, captivos redimere, peregrinos suscipere, infirmos curare, &c. Quia vita contemplativa præeminet activæ solum, juxta illud Christi Luc. 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferretur ab ea.*

Dico (*Ibid.*) In singulis ex prædictis tribus gradibus præminetia inter se attendi potest ex triplici capite. 1. Ex fine, si nempe una Religio ordinatur ad perfectionem actum in eodem genere: sic inter opera vitæ activæ potius est redimere captivos, quam peregrinos hospitio suscipere: inter opera vitæ contemplativæ melior est oratio, quam lectio. 2. Si una Religio ad plures actus in eodem genere ordinatur, quàm alia; sic enim respicit finem in ordine ad plura opera, consequenter potiorum finem. 3. Quando eundem, seu æqualem finem habent, desumitur præminetia ex parte mediolorum, statutorum, & observantiarum, non quidem secundum se, seu secundum quantitatem, sed quatenus sunt convenientiora, & magis accommodata ad finem æqualem consequendum. Non enim (*Ibid.* ad 3.) quod advertas, una Religio est potior altera ad eundem finem ordinata, ex hoc præcisè quod habeat arctiores observantias, sed ex hoc quod majori discretionem per observantias sint ad finem ordinatæ, & accommodatæ; quia observantiae non queruntur propter se, sed propter finem, & ideo non sunt id, quod præcipue in Religione commendatur. Unde in collationibus Pa-

## DE STATU RELIGIOSO.

Patrum collat. 1. c. 3. refertur, S. Antoninum prætulisse discretionem, per quam aliquis omnia operatur, vigiliis, jeuniis, & omnibus hujusmodi observantis.

#### §. IV. Utrum habeat aliquid in communi minus perfectionem Religionis?

Nota 1. cum Cajetano hic, triplicem distingui perfectionem vitæ spiritualis, unam hominis absolutè, alteram Status Episcopalis, tertiam Status Religionis; fuerunt namque viri perfectissimi, non Religiosi, non Episcopi, non pauperes, ut Abraham, Isaac, David, &c. Item necessariae esse Episcopis divitias, probatum est supra. Verum alia est ratio de perfectione Religionis; cum enim votum paupertatis sit de ejus substantia, merito queritur, utrum possessio bonorum in communi minus perfectionem Status Religiosi?

Nota 2. (*Ibid.* art. 7. o.) Perfectionem Religionis non consistere essentialitèr in paupertate, sed in sequela Christi, juxta illud Hieronymi in cap. 19. Matth. *Quia non sufficit tantum relinquere, addit Petrus, quod perfectum est: Et secuti sumus te.* Paupertas autem est instrumentum perfectionis, quatenus removere impedimenta perfectionis ex divitiarum possessione provenientia; & hæc sunt tria: scilicet, sollicitudo circa divitias acquirendas & conservandas; amor divitiarum, qui ex illarum possessione crescit, juxta illud vulgatum: *Quò plus sunt potes, plus stituntur aque;* & inanis gloria, seu elatio, quæ etiã ex divitiis nascitur. Primum impedimentum (*Ibid.*) non potest totalitèr separari a divitiis etsi parvis; quia necesse est, hominem aliquantulum sollicitari de acquirendis & conservandis exterioribus rebus sibi necessariis ad victum & amictum: sed si res exteriores non querantur, vel habeantur nisi in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem victum & amictum, talis sollicitudo non multum distrahit, unde nec perfectioni Christiani repugnat; non enim omnis sollicitudo a Domino interdicitur, dum dicit Matth. 6. *Ne solliciti sitis anime vestre: quid manducetis sed sollicitudo superflua & nociva.* At abundans divitiarum possessio abundantem sollicitudinem ingerit, quibus animus hominis multum distrahitur & impeditur, ne totalitèr feratur in Dei obsequium. Alia verò duo impedimenta, nempe, amor divitiarum & inanis gloria, non consequuntur nisi superabundantes divitias.

Nota 3. (*Ibid.*) quòd sollicitudo circa proprias divitias pertinet ad amorem privatum, quo quis se temporalitèr amat; sed sollicitudo circa divitias communes pertinet ad amorem charitatis, quæ sua sunt, quæ sua sunt, quæ omnia intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui, ideo habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis; sed sollicitudo circa communia potest, ut dixi, pertinere ad charitatem; quævis etiã per eam possit impediri aliquis altior actus charitatis, puta, contemplationis divinæ, aut instructionis proximorum.

Nota 4. Paupertatem posse considerari secundum se, & secundum quòd est instrumentum ad perfectionem acquirendam. Certum est, eam, quæ abdicat omne dominium tam in particulari, quam in communi, esse altiorum, & altissimam in genere paupertatis; in quo sensu verificatur, quod dixit Innocentius V. & refertur Extrav. *Quia quorundam,* scilicet, altam esse paupertatem, quæ pauca habet propter Christum; altiorum, quæ nulla habet propria in mundo, nec in proprio nec in communi. Considerata verò paupertas in ratione instrumenti, ea est perfectior, quæ est magis accommodata fini Religionis. His notatis,

Dico 1. (*Ibid.*) Possessio abundantium divitiarum in communi non tollit totalitèr perfectionem Religionis, sed est aliquod impedimentum illius; seu non tollit perfectionem Religionis quoad substantiam, sed quoad gradum. Patet 1. pars, (*Ibid.*) tum quia sollicitudo circa res communes potest pertinere ad charitatem, ut dixi Nota 4. Tum quia, ut mox dicam, abundantia bonorum in communi est necessaria quibusdam Religionibus, & tamèn omnes sunt status perfectionis, & omnes Christiani pauperem imitantur, atque paupertatem evangelicam profitentur. Secunda pars etiã constat: (*Ibid.*) Quia, ut dixi Nota 2. abundantia bonorum adfert varias distractiones, quibus impeditur animus, ne tam assidue vacet divinæ contemplationi, & ne totalitèr feratur in Dei obsequium. Item indè natum est augeri amorem divitiarum, & oriri inane gloriæ.

Dico 2. (*Ibid.*) Si consideretur Paupertas respectivè ad finem communem Religionum, qui est vacare divinis Officiis, possessio bonorum, quantum sufficit ad simplicem victum & amictum, non impedit perfectionem Religionis; quia, sive iste simplex

victus & amictus habeatur ex bonis moderatis possessis in communi, sive aliunde queratur, non adfert tot, ac tantas distractiones, neque alia impedimenta, quæ adfert bonorum abundantia, sicque non impedit vacare divinis Officiis. Si verò (*Ibid.*) Paupertas consideretur respectivè ad fines speciales Religionum, tantò unaquæque Religio erit perfectior secundum paupertatem, quòd habeat paupertatem magis suo fini accommodatam; quia, ut dictum est, paupertas assumitur a Religione ut instrumentum, & medium ad eum finem. Hinc fluit sequens Conclusio trimembris.

Dico 3. (*Ibid.*) Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones vitæ activæ, ut ad militandum, ad hospitalitatem sectandam, ad curandum infirmos, &c. competit habere abundantiam divitiarum communium: alioquin non possent assequi finem, ad quem sunt institutæ, & sic non haberent paupertatem suo fini accommodatam. Religionibus, (*Ibid.*) accommodatis ad contemplandum simpliciter, competit habere divitias moderatas, potiusquam abundantes; quia quantò minores sunt divitiæ, tantò minor est sollicitudo circa illas; quò autem minor est sollicitudo, eò magis animus est contemplationi idoneus. Religionibus, (*Ibid.*) quæ ordinantur ad contemplandum, & simul contemplata aliis tradendum per doctrinam, prædicationem, & alia spiritualia exercitia, competit habere quàm minus bonorum in communi, ea scilicet mobilia vitæ necessaria, quæ congruo tempore procurata conservantur: quia tantò magis sollicitudo temporalium impedit Religionem, quòd sollicitudo spiritualium major ad Religionem requiritur; atqui majorem spiritualium sollicitudinem requirit Religio instituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum per doctrinam, prædicationem, & alia exercitia spiritualia, quàm illa, quæ est instituta ad contemplandum tantum: ergo talem Religionem deceat paupertas, quæ minimam sollicitudinem temporalem ingerit. Subsumo; atqui minorem sollicitudinem temporalem ingerit servare usui hominum pauca necessaria tempore congruo procurata, quàm possidere immobilia: ergo.

Et hæc quidem vera sunt per se loquendo; & suppositis in Religiosis magno animi fervore, & aspera parsimonia atque temperantia in victu & amictu. Verum, quia non solet plerumque sic esse, aut saltem non diu permanere tantus fervor & tanta vitæ austeritas; ideo, spectato proximorum statu, nihil obstat, quominus Religiones ad salutem proximorum institutæ habeant modicas immobilium possessiones in communi: id enim ex una parte non affert magnam sollicitudinem, & ex altera juvat tum ad perfectionem Regulæ observantiam, cum ad conservandam Status Religiosi immobilitatem.

#### §. V. Utrum perfectior sit Religio in societate viventium, quàm agentium solitariam vitam?

Nota 1. (*Ibid.* art. 8. o.) quòd solitudo, sicut ipsa paupertas, non sit essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum. Nota 2. (*Ibid.*) quòd solitudo non sit instrumentum congruum actioni, sed contemplationi, secundum illud Osæ 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Undè non congruit Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ sive corporalia, sive spiritualia, nisi forte ad tempus, exemplo Christi, qui, ut dicitur Luc. 6. *Exiit in montem solus orare; & erat pertractans in oratione Dei.* Competit autem Religionibus ad contemplationem ordinatis.

Non facit hic itaque S. Th. comparisonem inter Religionem & Religionem, sed inter gradus ejusdem Religionis, scilicet contemplativæ; siquidem dicit, solitudinem non competere Religioni activæ, sed soli contemplativæ. Et aliunde certum est, quòd Religio mixta, cum habeat perfectionem finem; quàm contemplativa tantum, ut superius dictum est, sit ista simpliciter perfectior: perfectio enim ex fine excedit eam, quæ est ex medio tantum.

Dico. (*Ibid.*) Inter Religiones soli contemplationi vacantes major est perfectio eorum, qui vitam solitariam ducunt, quàm qui vitam coenobiticam, seu socialem agunt: quia, quòd jam perfectum est, præminet ei, quòd ad perfectionem tendit; atqui vita coenobitica est eorum, qui ad perfectionem tendunt; vita autem solitaria, si debite assumatur, est perfectior; non enim debite assumitur, nisi ab eo, qui jam perfectus est, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem, sive ex divino munere, ut S. Joannes Baptista, sive exercitio virtutum: alioquin, qui nondum perfectus solus vivit, a quo instruetur ad contemplandum sine errore? Quomodo humilitatem, obedientiam, passionum mortificationem discet & acquirat. Quapropter vita solitaria indebitè assumpta est periculosissima.